

L. D. J. Müller professor in Altdorf
Pro die 11. Septembris hora 8. anno MDCCLXIX. 6.
in Auditorio majore Academiae Trevirensis

EXERCITIUM JURIDICUM,

TENTAMINI PRO GRADU PRÆLUDENS,
PROPOSITIS EX JURE VARIO THESIBUS,

QUAS

PRÆSIDE ME

G. CHRISTOPHORO NELLER,

J. U. D. & ad Ss. Theologiae Doctoratum admissio,
Ss. Canonum Professore Ordinario, Reverendissimi ac Serenissimi
Archiepiscopi Trevir., S. R. I. Principis Electoris Consiliario in
Ecclesiasticis intimo, & Examinatore Synodali, insignis
Ecclesiae Collegatae ad S. Simeonem Treviris
Can. Capit., & Bibliothecario &c.

DEFENDET

Prænobilis, Ornatissimus, ac perquam Eruditus Dominus
ADOLPHUS HENRICUS AB ANETHAN,
TREVIR,

AA. LL. & Philosoph. primus Magister, Juris utriusque, nec non
S. R. I. publici, emeritus.

Augustæ Trevirorum Typis ESCHERMANNIANIS.

262

OPPUGNANTES.

Reverendi, Ornatissimi, ac perquam Eruditi Domini

JACOBUS MOLLIER, ex Meyscheid, Presbyter, AA.LL.
& Philof. primus Magister, Ss. Theologiæ, & Ss. Canonum
emeritus, ejusdemque Baccalaur. Biblic. & Formatus, Ju-
ris Civilis, nec non S. R. I. publici, Auditor.

JOANNES KRANTZ, Confluus, Diaconus, Ss. Canonum,
Institutionum Imperialium, & Juris S. R. I. publici, Auditor.

REVERENDISSIMO, ILLUSTRISSIMO, ET EX-
CELLENTISSIMO DOMINO,

D. JOANNI NICOLAO
AB HONTHEIM,

DOMINO IN MONTQUINTIN, COUVREUX,
ROUVROY, ET DAMPICOURT,

EPISCOPO MYRIOPHITANO,

REVERENDISSIMI, & SERENISSIMI DOMINI
NOSTRI ARCHI-EPISCOPI, ELECTORIS
TREVIRENSIS,

SUFFRAGANEO, VICARIO IN PONTIFICALIBUS GENE-
RALI, & STATUS CONFERENTIALI MINISTRO,

*Insignium Ecclesiarum Collegiatarum, ad S. Simeonem intra muros
Trevirenses*

D E C A N O,

Ad S. Florinum Confluentia

CANONICO CAPITULARI &c. &c.

ALMÆ & ANTIQUISSIMÆ UNIVERSITATIS TREVIRENSIS
PRO - CANCELLARIO,

DOMINO ac MECÆNATI MEO
PERQUAM GRATIOSO.

DECRETUM
AB HONORABILIBUS

EPISCOPIS
ET SACERDOTIBUS
CONGREGATIONIS

DE
MORALI

DE
MORALI
DE
MORALI

DOMINO DE MCCCXCVI
SERVAM GRATIOSO

ipud
vige
pra
run
ter
tibus
lanti
ven
civil
vitas
Gra
refle
discre
cacion
vium
cum s
dolut

Reverendissime, Illustrissime, Excellentissime
EPISCOPE,
Domine perquam gratiose.



Maginas has juridicas celfo Nomini Reverendiffimæ & & Illuſtriſſimæ Dignitatis & Excellentiæ Tuæ humili devotione inſcribit filius ejus, qui, Te quondam Profefſore Digeflorum & Præſide, conſobrinitatis jure præcipuè, ut par fuit, ſelecto, in hac ipſâ academiâ theſes ſuas defendit, Teque Promotore doctoratûs inſignia accepit, chariffimi patris. Illas, atque permultas alias, prælo collectore dignas diſputationes, décadas legum difficiliorum, à Tuâ ſolertiâ compoſitas, qui legerit, agnoſcet facile, Te inter viros principes, quibus reformatam in Catholicis Univerſitatibus juris tradendi methodum debemus, eſſe numerandum: exultantibus ibi barbarie, obſcuritate, faſtidio, regnat ubique guſtus, venuſtas, gratia; ſevera jucundis, ſpinæ roſis, ſubtilitas legum civilium ſimplicitati juris naturæ feliciter ſociantur; ſuccincta brevitatis pondus ſententiæ copulavit claritati ſermonis, Philoſophia, Græca, Romana, ſuos ad elegantiam inſperſit flores; prudentia refleſcit maturè, ingenium rimatur profundè, criſis examinat diſcretè: mirum, ſiquis in legibus, cæteroqui longævâ jam alteratione laniatis, enodationis Tuæ facili perſpicaciæ conſtans, ſerriûmque argumentum, quod opponeret, invenerit. Triennio cum ſic effuſiſſes in cathedrâ omnium difficillimâ ereptum Te ſibi doluit Univerſitas, datum ſibi gaviſus eſt Conſluentinus in ſpiritu-
tuali.

ualibus Officialatus, vasto arduoque Referentis in ecclesiastico-politicis muneri conjunctus, unum desideranti Honthemium, tunc proprius agnovit, quis, quantusque esses, judicio discernendorum sibi servientium pollens, magnus noster FRANCISCUS GEORGIUS, tres viros, quibus pro adminiculo regiminis domi forisque uteretur potissimum, labore infractis, sapientia rerum instructis, fide probatis, proindeque totis suis, laudare solitus, Nalbachium Suffraganeum, Spangenbergium Consiliarium, & Honthemium Officiale. Illa in statione, tunc ita occupabantur vires, horaeque tuae, ut vacillaret corporis sanitas; & tamen, quod nemo imitabitur, admirabuntur omnes, in medio aulae, in strepitu dicendi juris, in negotiorum mole atlantica, opus, quod juvenis optasti, titubante fiducia sperasti, feliciter executus es herculeo conatu, Historiam nempe Trevirorum diplomaticam, dissertationum eruditione copiosissimam, notarum juridicarum luce clarissimam, juris Germanico-Treverici, quod impense non amasti solum, sed & excoluisti ipsemet, atque ab aliis excoli procuras, uberrimam notitiam refertam; Officinam, ex qua Professores jurium materias dissertationum gratis & large accipiunt; promptuarium Advocatorum, thesaurum judicantium in causis illustribus, lapidem lydium criseos moderatae, immensa lectionis testimonium, eruditorum applausu exceptum, imitatione, usu, & allegationibus cele-

celebratum; cui, ne quidquam deesset, Prodrumus, collectione
Scriptorum, dissertationumque multitudine plenus, accessit, quem
horas sibi subcidens difficile, quod geris, Episcopale munus in Pon-
tificialibus Vicarium eâ celeritate mundo literario dedit, quâ nemo
in otio à negotiis degens dedisset. Trevirorum hinc meritò decus
audis, & ornamentum, famâ longè latèque clarissimum: hinc
Serenissimus Dominus noster noverat Te prius, quàm nôsset, ve-
nit Treviros, clementissimòque nutu vocavit in sanctioris ministe-
rii, cui Serenitas sua ipsamet præsidet, intima penetralia, com-
militonibus iis, quorum selectus vel solus probat singulorum emi-
nens meritum ex Tanti Principis iudicio & fiducia. Nunc pro-
pius secundò fruere magno Imperii & Treviratûs Consiliario, con-
seniore cani servitii, Spangenbergio Tuo, ille autem Te suo:
nunc juxta illum sacri palatii Trevirensis sic es minister, ut sis
eodem tempore aliorum per Europam, quæ tuis gaudent consiliis
adjuvari, magister: Vererer, Prælato, altioribus curis immerso,
scholæ nostræ theoremata offerre, nisi compertum esset, incremen-
tum illius, sicut & cæterarum omnium, Tibi, ex quo sub tertio
Electore Archiepiscopo Procancellariatum Almæ Universitatis ho-
noricè sustines, & cordi esse, & sollicitudinis, atque vigiliarum
præcipuam rationem: non peto, ut perlustres, rogo saltem, ut
illustrissimis tuis auspiciis illustres, patrociniòque protegas, quod
cum


cùm his, qui studiorum causâ se exinaniant, impendere soleas tantum, quantum ab aliis sperare vix licet, votum universale literatorum, literisque vacantium, cui meum devotissimum jungo, desiderat, Te quàm diutissimè venerari superstitem, laborare semper, & nunquam laborare. Vicisti primus vanam observantiam, quâ vulgus nulli Suffraganeatus Trevirensis insulam ultra viginti annos à Deo providente existimavit destinatam esse; alterum annorum tantum pro majore superstitionis confusione addat propitium Numen, cujus clementiam ob id ardentè, identidèmq; imploraturus profundissimâ veneratione perennes

REVERENDISSIMÆ, ILLUSTRISSIMÆQUE DIG-
NITATIS & EXCELLENTIÆ TUÆ

Servus humillimus
A. H. AB ANETHAN.



I. N. D. N. J. C.
EX JURE GENTIUM.
TEXTUS.

 *Is, cui quis per errorem non-debitum solvit, quasi ex contractu debere videtur. Ad eò enim non intelligitur propriè ex contractu obligatus esse, ut, si certio rem rationem sequamur, magis ex distractu, quàm ex contractu, possit dici obligatus esse. Nam, qui solvendi animo pecuniam dat, in hoc dare videtur, ut distrahat potiùs negotium, quàm contrahat. Sed tamen perinde is, qui accipit, obligatur, ac si mutuum ei daretur, & id eò condictione tenetur. §. 6. Inst. de obligat. quæ quasi ex contract. Conf. §. 1. Inst. quibus modis re contrahit. oblig.*

SCHOLIA.

1. *Vinnius ad hunc tit. fatetur, paulò pinguis dici, accipientem, quod sibi non debetur, obligari ex distractu, idque eò magis verum est, quòd iste distractus sit ex opinione solventis, & accipientis purè extindivus negotii, secùs quàm in transactione.*
2. *Tacitam obligationem hìc fingit l. 13. ff. Commod. junct. l. 33. ff. in fin. de condict. indeb. Sed nemo non videt abusio nem hujus verbi.*
3. *Si quasi-mutuum resu laret, non subsisteret principium, quòd condictio indebiti non detur, ultra quàm locupletior factus est, qui accepit, l. 26. §. 12. de condict. indeb.*
4. *Jus ergo naturæ, simplicitatis amans, explosis istis juris civilis lusibus, talem obligat ex re accepta, ita, ut, si species sit indebitè soluta, non condicatur, sed vindicetur, imò & nummus, five identicus extet, five non.*
5. *Nec ipsum jus civile prorsùs hìc recessit à jure naturali; quoniam furtum fit, cùm quis indebitos nummos sciens acceperit, l. 18. ff. de condict. furtiv.; nec nummi ejus fiunt, l. 43. ff. de furt.*

A

EX

EX JURE CANONICO.

Continuatio Titulorum Libri V. Decretalium.

Ad Tit. XXVII.

I. Clericus, *minori* excommunicatione ligatus, si celebret, nullius quidem *irregularitatis* notam incurrit; *graviter* autem peccat, *Cap. fin. b. t.* *

* Quia Sacramentum percipit in excommunicatione *minore*; quamvis esset in *statu gratiae* cum Deo: hinc nota, violatione hujus censuræ non contrahi ab ullo *irregularitatem*. Sed qui? si in contemptum *Ecclesiasticæ discipline*, videlicet, contra prohibitionem Superioris, *communioni excommunicatorum pertinaciter se iniecit*? R. Erit quidem anathemate *feriendus*, sed celebrando, *antequam feriatur*, non fit irregularis.

II. Idem, *conferendo Ecclesiastica Sacramenta*, peccat quidem; * sed ab eo collata virtutis non caret effectu; cum non videatur à *collatione*, sed *participatione* Sacramentorum, quæ in *solâ perceptione* consistit, remotus. *ibid.* **

* Sed *venialiter* tantum, ob *indecentiam statûs*, in quo est talis minister, non, quis sic excommunicatus est in peccato mortali, aut ob hoc meruit sic excommunicari.

** Ex quo non inferas, omnia Sacramenta carere virtutis effectu, si conferantur ab eo, qui à *collatione* remotus est per censuram.

III. Clericus autem ille, qui *majorem* excommunicationem violat, *ex disciplinâ Sæc. XIII.* usque hodiernum in diem mulctatur *irregularitate*, i. e. inhabilitate ad ordines suscipiendos, aut exercendos. *Arg. cap. 9. & fin. b. t.* *

* Hanc irregularitatis speciem à *Didaco Hurtado S. J.*, quem virum vocat acutissimi ingenii, & omnigenæ eruditionis, negatam fuisse, refert *Gonzalez in Cap. 4. b. t. num. 5.*, ex unico hoc fundamento, quia non sit in jure expressa, juxta quod requirit *cap. 18. de sent. excom. in 6.* Nos ed usque non imus, accedimus tamen illi, quatenus saltem in jure non invenitur *ante Gregorium IX.*; nam adhuc *Alexander III.* his nunc penam *perpetuæ depositionis ab officio sacerdotuli* dictavit, si moniti non redierint sine dilatione *cap. 3. & 4. b. t.*, nunc autem *privatiōis beneficii* *cap. 6. & 7. §. un. h. t.*, quam *unâ cum irregularitate* praxis regulariter non infligit, sed irregularitati acquiescit, nisi extraordinaria foret violentiam protervia.

IV. Qui violat *dubiam*, * non est quidem omnino culpabilis, ac in tantum, ut ei sit infligenda pœna, quam Canon minatur his, qui
post

post excommunicationem divina præsumperint officia celebrare; attamen non agunt rectè; quia *in dubiis via est eligenda tutior*, ** sic, ut debuisset potius se abstinere, quàm Sacramenta Ecclesiastica pertractare, *cap. 5. b. t.* ***

* Sive dubium sit *juris*, sive *facti*. In casu d. cap. 5. principale dubium fuit *juris*, an nempe excommunicator, à summo Pontifice *delegatus*, validè egerit, exortum inde, quòd crederat excommunicatus, debuisset præcedere monitorias, cui addi explicatiùs potest, insinuari debuisse ante omnia *litteras commissionis*. Accessit dubium *facti*, an excommunicaverit; cum excommunicato non nisi per *famam* de sententiâ contra eum prolata constaret. Dubia hæc duo facti erant fundata; neque enim 1.) *Dubium juris* per hoc elisum est, quòd *factum* transitus Episcopi ad aliam Ecclesiam fuerit *notorium*; quia delegatus non jubebatur transirem *absolutè* excommunicare, sed *conditionatè*, videl. *nisi intra 30. dies ab administratione ecclesie cessaret*. 2.) Quoad *dubium facti* non est totum verum, quod tradit hîc *Panormitanus* num. 4. *Habens notitiam sententiæ excommunicationis, etiam per solam famam, debet abstinere à communione fidelium, & sanctorum; aliàs peccat, & INCIDIT IN IRREGULARITATEM, celebrando divina; & in hoc est iste textus valdè notabilis, & quotidie contingit, quòd Episcopi excommunicantur in curiâ, & non habent notitiam excommunicationis, nisi per famam tantùm: idèd tene menti istum textum.... Et ex hoc elicitur unus casus, IN QUO FAMA FACIT PLENAM PROBATIONEM.* Certè fama, quæ sæpè verax, multoties autem mendax, deprehenditur, nunquam plenè probat *in novis*, neque per eam satis constat *de corpore delicti*, quod hîc est *violata censura*. Aliud sanè, quòd interdum fama habeat *effectum obligationis ad abstinendum à proposito*, ut hîc, & in contrahendo matrimonio cum famâ impediementi.

Additio 1. Idem est, si quis violet excommunicationem latam à *jure*, quam eum incurrisse verum dubium est, sive *juris*, sive *facti*, e. g. Si quis Clericum non beneficiatum, in minoribus constitutum, sine habitu clericali incedere solitum, percussisset, aut alium quidem, privilegio Canonis certò gaudentem, sed defensionis causâ, exorto facti dubio, an non excefferit moderamen inculpatæ tutelæ.

Additio 2. Idem est, si quis violet latam ab *Ordinario* excommunicationem, de cujus valore sit dubitandum, sive *ex jure*, sive *ex facto*; ut ut dicatur, contrarium esse certum; neque enim hæc, ultra peccatum arbitrarie pœnæ prætexta *irregularitatis certitudo* probatur, sive *ex cap. 5. b. t.*, sive *ex cap. 40. de sent. excom.*, aut ex illo solenni S. Gregorii M. *Sententia Pastoris, sive justa, sive injusta fuerit, timenda est.* Can. 1. XI. q. 3. Non terreat quempiam *Can. 7. XI. q. 3.*, textus in speciem fortis ex adverso; est enim *Martini Bracarenfis*, qui Canonem *Antiochenum*, relatum ibi *Can. 6.*, malè vertit, pro *depositus*, sive *damnatus*, ponens *excommunicatus*.

Additio 3. Ampliamus, ad exclusionem videlicet *solius irregularitatis*, etiamsi excommunicatus contra sanæ moralis regulam *in dubio, non deposito*, operatus fuisset; nisi postea declaratur *veritas & vigor* excommunicationis; quia nec opinio excommunicationis sine veritate hîc sufficit. A 2 ** Sal-

** Saltem in his, ubi *dispositionis & capacitatis* certitudo moralis ad aliquid licitè aufpicandum requiritur, veluti ad ministrandum in sacris Ordinibus *cap. 12. 18. 24. de homic.*, ad contrahendum matrimonium *cap. 3. de sponsal. cap. 2. de consang.*

*** Ubi *Innocentius III.* rescripsit Capitulo Herbig. in famoso casu *Conradi I.* à Ravensburg, qui sine auctoritate canonicà transierat ab Episcopatu Hildesienfi ad Herbipolensem; cùmque propterea à *Rudolpho* Archiep. Magdeburgensi (qui cum *Moguntino*, & *Bambergensi*, supersedentibus, ab Apostolico in solidum delegatus erat) non satis providè excommunicaretur, perrexit Missarum solennia celebrare. Vitam & fata ejus refert laboriosus *Benedictinus Ignatius Kropp*, Herbipoli ad Scotos, & *S. Stephanum* successivè Prior in *Collatione noviss. scriptorum & rerum Wirceburg. Tom. I. pag. 312.* De hoc *Conrado* existant porro in Corpore jur. canon. *cap. 3. & 4. de translac., cap. 5. de Major. & Obed.*

V. Qui excommunicationis contra se latæ ignarus celebrat divina, hunc reddit ignorantia *probabilis* * excusatum; non autem *crassa, supina, & erronea*, ** *cap. penult. h. t.*

* Theologi post *S. Thomam* in materiâ ignorantie utuntur verbis: *Vincibilis, & invincibilis*, & idè in facto sæpè incidunt in altercationem, an ignorantia vinci potuisset, nec ne, quia terminus iste multùm severus est. Sed Leges æquè ac Canones hæc verba omittunt, quærentes tantùm, an ignorantia sit *probabilis*, id est, an ex causâ suâ, & circumstantiis facti, mereatur discreti judicis attentionem, & admissionem pro excusatione, veluti, si quis tempore publicatæ censuræ absens fuerit, & in absentia celebrarit. Hæc ignorantia etiam vocatur *justa*, sicut *metus justus*, id est justè allegabilis, & meritò exaudienda.

** *Crassa* ignorantia occurrit sæpiùs in jure canonico, quasi *crassæ negligentie*, ut habet *l. 6. ff. de jur. & fact. ignor.*, & coincidit cum *supina*: plus est *affectata*, quam quis studio sibi procurat, vel conservat. *Erronea*, hîc singulariter occurrens, intelligi debet de *errante in jure*. Hæc ignorantie dicuntur *improbabiles, & damnabiles*.

Additio. Humana est regula *Ulpiani* in *l. 6. cit.* *Nec supina ignorantia ferenda est factum ignorantis, ut nec scrupulosa inquisitio exigenda; scientia enim hoc modo æstimanda est, ut neque negligentia crassa, aut nimia securitas satis expedita sit, neque delatoria curiositas exigatur.*

VI. A *necessitate* * quoque excusationem inducunt Doctores, quia Canones irregularitate percutiunt solos *presumentes* divina celebrare; aliud verò est causa *necessitatis*, aliud causa *presumptionis*, & propriæ voluntatis, *Can. 35. VII. q. 1.*

* *The.*

* *Theſis* vera eſt; ſed *hypothefes* neceſſitatum raro contingunt in excommunicationibus ab homine fulminatis; tunc enim res publicatur, & neceſſitatibus per alium proſpiciuntur. Doctores videntur poſſimum loqui de latis *ab ipſo jure*, factis occultis; tunc e. g. Parochus, qui ſero veſpere diei dominicæ, aut de mane, ſuaſente diabolo, percuffit Sacellanus ſuum, & ex eo agnoſcit, ſe incurriſſe ſententiam Canonis, poterit ad evitandum murmur, & ſcandalum plebis, conſcientiã prius mundatã, Miſſam parochialem facere, ſi alius non adſit, qui ſuppleat. Sola neceſſitas *ob infamiam* excommunicati *declinandam* nobis ſufficere non videtur, ſed requirimus neceſſitatem *alienam*.

Additio. Metus gravis, adigens ad celebrandum, plerumque incutitur *in contemptum cenſurarum*, maximè interdicti propter Potentes lati; hoc eſu peccat quidem celebrans, ſed *irregularitatem* (quod tamen plerique volunt) incurrare nobis non videtur, quia in tali defectus eſt potiùs, quàm *preſumptio* animi, nec movet nos *arg. cap. 5. de his que vi.*

VII. Si excommunicatio fit *evidenter* nulla, * violans eam non incurrit irregularitatem, quia non verificatur de eo *corpus delicti*, nempe, quòd violaverit cenſuram; neque enim hi: vel nomen ſententiæ adest *l. 4. §. 6. ff. de re jud. Clem. 2. in fin. eod.*; nec debet is pœnam ſuſtinere canonicam, in cujus damnatione non eſt canonica prolata ſententia, *can. 64. XI. q. 3.*

* E. g. Si lata *poſt appellationem*, aut per nullitatem *intolerabilem*, ut eam vocant noſtra capitula, vulgaris autem ſtylus *inſanabilem*, puta, ex incompetentiã ferentis, aut abſque formã juris.

Additio. Si Parocho, e. g. Belgii, non liceret per conſtitutionem Principis coram Officiali Episcopi *in cauſã morè temporali*, puta debiti civilis, reſpondere, & Officialis in præteſe contumacem fulminaret cenſuram, is verò pergeret parochialia exercere, an fieret irregularis? R. di, quòd non.

VIII. Prædicta de *excommunicatis* divina celebrantibus, i. e. actus ſui ministerii ſolemniſter exercentibus, procedunt etiam de *ſuſpenſis*, * & *perſonaliter interdictis*. **

* *Arg. cap. 3. 4.*, ubi æquiparantur, & *cap. 9.*, ubi diſpenſantur, *h. t. cap. 1. de ſent. & re jud. in 6. verſu: Sciturus. Cap. 1. in fine de ſent. excom. in 6.* Sed hic incidimur in nodum. Compiler S. Raymundus refert in *cap. 2. b. t.* Canonem *Antiochenum*, non prout eſt in fonte Concilii *Can. 4.*, neque prout in Compilatione primã, Bernardi nempe Papienſis, ſed immutatum, in quo *ſuſpenſum*, de quo Canon Antiochenus ſilet, *degradato* conjungit, de cujus pœnã mox infra Theſi

IX. Hanc textus immutationem fecit studiosè, sicut potuit per auctoritatem Gregorii IX. R. Non omnem suspensum conjurxit *degradato*, sed cum duntaxat, qui per contemptum & superbiam aliquid de ministerio sibi interdicto agere presumpserit, & NB. POSTEA ab Episcopo suo CORREPTUS, in incepta presumptione perduraverit.

** Si quis verò, non personaliter interdictus, sciens celebret in loco interdicto, is jure *Decretalium* potest excommunicari, & si nihilominus pergat, beneficio privati Clerici, in arctius monasterium ad peragendam penitentiam detrudi *Monachus*, cap. 7. §. un. b. t.; quod ultimum, cum sit extra usum, commutabitur in arctiorem disciplinam ejusdem monasterii. Jure *Sexti* violans interdictum locale fit irregularis cap. 18 §. un. de sent. excom., sicut quoque ille, qui contra interdictum ingressus in Ecclesiam, ingreditur, agens in suo officio, sicut prius. cap. 20. eod. in 6.

Additio. Multitudine hinc peccante, soli magis rei ordinariâ poenâ puniuntur, ceteri mitiore, erit autem multitudo, si fuerint ultra 60. Cap. 4. b. t.

IX. Episcopos, Presbyteros, Diaconos, pro certis, i. e. manifestis, criminibus justè depositos, ministrantes ab Ecclesiâ omninò abscindi voluit Canon dictus Apostolorum 28^{us}, relatus in cap. 1. b. t. Antiochenus 4^{us} de anno 341. sic abscissos sine spe restitutionis fore, nec locum habere satisfactionis. *

* Ad hunc Canonem respexit fulmen Joannis XII. contra Leodem V III. in Synodo Romanâ anni 964. Refert eum Gratianus in Can. 6. XI. q. 3. ex versione Dionysii exigui in Corpore Canonum. Vidit utique S. Raymundus; & nihilominus, inscribens textum cap. 2. h. t. ex Concilio Antiocheno, eum sic alteravit, ut depositus ministrans, si correptus non destiterit, modis omnibus excommunicetur. Omisit quoque Episcopos, adjecit generaliter alios Clericos Presbyteris. Et hoc servabitur.

Ad Tit. XXVIII.

I. Si quis (sive Clericus, sive Laicus*) baptizaverit, aut aliquod (etiam duntaxat de minoribus) divinum officium exercuerit, non ordinatus, propter temeritatem abjiciatur (per excommunicationem hominis) de Ecclesiâ, & nunquam ordinetur. Cap. 1. b. t.

* Olim fuit rubrica compilerum: de non ordinato ministrante: S. Raymundus adjecit: de Clerico: hinc multi negant, Laicum ministrantem fieri irregularem. Sed debilis hæc est ratio restringendi capituli I. generalitatem propter solam rubricam mutatam.

II.

II. Irregularitas hæc est *tantum particularis*, impediens licitam susceptionem *illius ordinis*, cujus ministerium quis non ordinatus præsumpsit, *cap. 2. b. t. **

* E. g. Diaconus, Missam celebrans, ad quod S. Simeonem Diaconum, Trevisis in portâ quondam Martis, sive nigrâ quiescentem, dæmon tentaverat, fit irregularis quoad sacerdotium; quoad ordines susceptos biennio vel triennio suspenditur, & pœnitentiæ subjicitur. *Ibid.*

III. Super gravi hoc sacrilegio cognoscunt inquisitores hæreticæ pravitatis, ubi sunt, aut Episcopi quoad Clericos *privativè*, quoad Laicos *mixtim* cum sæculari iudice, ita ut sit locus præventioni.

IV. Contra eos, qui non-ordinati *Missas faciunt*, vel *confessiones audiunt*, respectivè degradationem, & extraditionem curiæ sæculari decreverunt Romani Pontifices. *

* *Paulus IV. & Sixtus V.* laudati à *Clemente VIII.* in Bullâ: Etsi aliàs g. 1. Tom. 3, Bullar., ubi: *Statuimus, ut quicumque non promotus ad sacrum Presbyteratus ordinem repertus fuerit Missarum celebrationem usurpasse, vel Sacramentalem Confessionem audivisse, à Judicibus S. Inquisitionis, vel locorum Ordinariis, tanquam Ecclesiæ misericordiâ indignus, à foro Ecclesiastico abiciatur, & ab Ordinibus Ecclesiasticis, si quos habuerit, ritè degradatus, STATIM curiæ sæculari tradatur, per Judices sæculares debitis pœnis plectendus.* Hoc *Urbanus VIII.* an. 1628. innovavit, & constituit, nullam esse à minore ætate excusationem, modò quis annum vigesimum compleverit. Bulla *Apostolatùs* 79. Tom. 4. *Benedictus XIV.* an. 1744. in Bullâ: *In æternum*, ulterius declaravit 1.) Sufficere unam vicem, nec non, 2.) unam tantum partem Missæ, dummodo quis elevationem hostiæ vel calicis, seu utriusque, peregerit, etiamsi verba consecrationis non pronuntiasset. 3.) In auditione confessionis pronuntiationem formæ requiri. 4.) Ex testibus singularibus nasci sufficiens indicium ad torturam. 5.) Defectum ordinationis presbyteralis facti probari per literas extrajudiciales Ordinariorum rei. Aliâ Bullâ: *Divinarum.* an. 1757. idem Pontifex noluit mitiorem pœnam, e. g. loco mortis trimeritum, vel carceris perpetui, ex eo dictioni, quòd reus ad interrogationem inquisitoris, *an sciat, quòd de causâ carceri inclusus sit*, statim fateretur crimen, sed talem à Iudice Ecclesiastico nihilominus tradi debere sæculari ad pœnam capitalem.

V. Quoniam verò Bullæ R. R. Pontificum non sunt ubique locorum, præsertim cum distinctione pœnarum, receptæ; hinc Ordinarii non tenentur tales homines *STATIM* extradere curiæ sæculari, quam-

quamprimum eis confiterit de facto, ad poenam capitalem, sed ipsimet pro re nata mitiorem decernere poterunt. *

* Extra temporale dominium Summi Pontificis vix credo, quod Judices saeculares ubique dictaturi fuissent mortis poenam illi Zelotypo, qui uxoris peccata exploraturus habitu se religiosi induisse, & se ei excepisse tertur ejus confessionem, absolutione data. In Hispania tridem poenam esse, testatur *Gonzalez* in cap. 2. h. t. num. 2. Non Sacerdos semel tantum Missam legens, nec consecrationis formam pronuncians, in subitanti delicti similis est Sacerdoti, qui, ut casum habet *cap. 7. de celebr. Missar.*, cum esset in statu peccati mortalis, neque celebrationem omittere posset, peractis ceteris ceremoniis, supprimens consecratoria verba, purum panem, & vinum sumens, decepit populum: hunc verò Episcopus non mox degradabit, & poena capitis extrahet. Forfan quoque parceret alicubi *cuiusque minori aetati*. Forfan Ordinarii locorum manebunt quoad Clericos non-Sacerdotes in terminis juris communis, per quod Clerici in eodem delicto mitius puniendi sunt, quam Laici, *cap. 10. de Judio*.

Additio. Genus mortis, quam impostor, aetate major, sacra verba consecrationis proferens, non effugiet, leges nostrae criminales non determinarunt: est iste *falsarius sacrilegus*, falso quidem, & sacrilegio enormi, sed non *primae classis*, quasi poenam ignis constituit *Nemesis Carolina* art. 172. *P. Baumgärtner S. J.* Professor SS. Can. Dillingae, ad hunc tit. an. 1751. scripsit: *Ante aliquot annos aliquem Eremicolam, attentantem celebrare Missam, ultimo supplicio Neoburgi ad Danubium affectum scio, sed reticet genus mortis.* *Böbmer* ad eundem tit. ex *Corneri* chronico, quod *Eckartus* publicavit, refert Lubecae quendam igni traditum fuisse; sed aderam singulares malitiae: *Hermaphroditus* fuit, plures Missas celebravit, de die masculum egit, de nocte foeminam prostibulum: putem igitur, gladium in Germaniam, laqueum in Galliam, sufficere, si *semel*; sin *saepius repetito scelere*, etiam ad regum perveniri posse.

Ad Tit. XXIX.

- I. *Per saltum promoveri* est suscipere Ordinem superiorè, non prius suscepto inferiore, e. g. si quis ex Subdiacono immediatè ordinaretur Presbyter.
- II. Promotio per saltum est *solo Jure Ecclesiastico* prohibita.
- III. Promotus per saltum validè ordinatur, sed ad *exercitium Ordinis suscepti* requiritur ordinatio omissa. *Cap. un. h. t., & Can. un. dist. 52.*

IV.

IV. Excipitur *Episcopatus*, qui sine *Presbyteratu* susceptus, non solum validè collatus est, * sed nec indiget *ordinationis presbyteralis suppletionè*. **

* Ita multi Canonistæ, præsertim antiquiores, post glossam in *can. un. dist. 52.*, apud *Covarruviam* variar. resol. lib. 1. cap. 10. num. 16., & *Aulissim* Instir. can. lib. 1. tit. 10. num. 1. contra glossam in *d. cap. un. b. t.* verbo: *Ministrare*, ex infirmo argumento cap. 10. de excess. Prælat. Pontificale officium sine altaris ministerio non valet adimpleri. Repugnant Theologi communiter, quibuscum sentit *Ludovicus Thomassin V. & N. Discipl. Eccles. part. 1. lib. 2. cap. 36. num. 11. & seqq.*, nec non *part. 2. lib. 1. cap. 86. num. 12. 13. 14.*; contrarius suomet principio, quod *part. 1. lib. 1. cap. 1. num. 9.* præsertim, tantâ verborum emphasi tradidit contra primi nominis Theologos, *Episcopatum non esse extensionem presbyteratus, sed fontem, & originem omnium ordinum, & potestatum spiritualium, inexhaustam plenitudinem, infinitam sacerdotalium functionum, & regiminis ecclesiastici opulentiam, esse scatebram, ex quâ mandant deinceps rivulorum instar dignitates, & ordines omnes Episcopali apice inferiores: à veri specie & similitudine procul esse, qui solum presbyterii extensione constare Episcopatum autumant; certum ex adverso, & inconcussum illud haberi debere, ordinum omnium sacrorum, & dignitatum ecclesiasticarum, virium, ac prerogativarum spiritualium, plenitudinem in Episcopatu, ut in primogenio fonte residere, & inde ceu rivulos effluere ordines & potestates omnes sacerdotales, atque in primis Presbyteratum.* Adde, quæ habet *ibid. num. 10. & 11.* His veris, infero: Ergo qui ordinatur in Episcopum, accipit in suis propriis formis Presbyteratum, Diaconatum, ceterisque Ordines omnes, tanquam partes, & particulas unius alicujus totius.

** Argumentum bonum ex *Actor. 13. v. 2.*; licet enim benè scivissent Apostoli, se prius à Christo Magistro presbyteros, postea ex intervallo episcopos ordinatos fuisse, licet quoque clara appareat distinctio in Actis Apostolorum inter Apostolos, Presbyteros, & Diaconos; non tamen leguntur *Barnabas & Paulus* prius per impositionem manûs facti esse Diaconi, dein Presbyteri, demum Apostoli: sed *orantes, jejunantes, imponentesque eis manus, dimiserunt illos* ad opus ministerii Apostolici. Non solvit hoc argumentum *Franciscus Hallier* libro suo præclaro *de sacr. Elect. & Ordin. part. 2. art. 2. §. 4.*, grati hoc dici; imò quippe grati, & non nisi ex præventionè systematis, adstruitur hæc triplex, aut duplex Ordinatio. Firmatur hoc praxi Ecclesiæ Romanæ, de quâ *Joan. Bapt. Rigantius, Romanus*, in Commentario ad Regulam Cancellar. 24. §. 1. num. 12. testatur ex *Joan. Mabillon. Commentar. præv. in Ordinem Romanum §. 18.*, *Pagio* criticâ in *Baronium Tom. 2. ad an. 604. num. 4. & 5.*, *Edmundo Martene* de antiq. Eccles. ritib. cap. 8. art. 3. num. 9. & 10., præcis temporibus, quando Pontifices potiùs ex Diaconis, quàm Presbyteris eligebantur, eos, prætermisso Presbyteri gradu, Episcopos fuisse ordinatos; primum fuisse *Gregorium VII.*, qui ex Diacono in Papam electus prius presbyter, dein episcopus consecratus fuerit. Quod postremum quidem non asseram, ob ea, quæ *Joannes XII.* in Synodo Romanâ de Ordinatione *Leonis VIII.* dixit, hunc curialem, ac neophytum à *Sicone Ostiensi Episcopo* jam *Ostiarium*,

Lectorem, Acolytum, Subdiaconum, atque subito Presbyterum fuisse ordinatum, & in Apostolicâ Sede sine aliquâ probatione contra SS. PP. statuta consecratum.

Additio. Photius, malitiosus ille intrusus in Sedem Constantinopolis, inter cætera hanc praxin latinam objecit *Nicolao I. Papæ*, ut constat ex Epist. Photii ad Nicolaum apud Baron. ad an. 861. num. 49., nec non ex Epist. Nicolai 70. apud *Harduin.* Tom. 5. Concil. pag. 309. *Quin & reprehendere satagunt, ... & quia Diaconus, non suscepto Presbyteratûs officio, apud nos Episcopus ordinatur.* Nicolaus excitavit Latinos ad refutandum Græcos, sive, ubi falsa impegerant, sive ubi latinas consuetudines carperant: surrexerunt contra eos cœvi, *Aneas*, Episcopus Parisiensis, & *Ratramnus*, sive *Bertramus*, monachus & presbyter Corbejenfis; iste negavit, Diaconum apud nos ordinari per saltum; ille prior aurem facti veritatem non est diffusus, *quoad aliquos*, sic ordinari solitos, causam reddidit, quod in sublimitate majoris Pontificis consistit etiam honor minoris Sacerdotis.

V. Cum promotis per saltum, si non ministraverint, Episcopus ex legitimâ causâ dispensare potest. *Trid. Sess. 23. de reform. cap. 14. in fin. **

* Atqui hoc jam prius habuit per textum *cap. un. b. t.!* R. Per Trid. potest dispensare Episcopus, sive negligenter, qui erat casus *cap. un.*, sive studiosè, & scienter, promotus quis fuerit per saltum.

Ad Tit. XXX.

I. *Furtivè* ordinantur,

a) Episcopus ab uno tantùm Episcopo, *can. 5. dist. 64.*

b) Clericus ab Episcopo alieno absque dimissoriis, *etiam duntaxat ad primam tonsuram. **

* *Cap. 1. de temp. ordinat. in 6. Trid. sess. 6. de reform. cap. 5. Sess. 14. de reform. cap. 2. Sess. 23. de reform. cap. 8.* Taliter ordinatus ab executione ordinis sic suscepti est ipso jure suspensus, donec suo ordinario videbitur.

Additio. Atqui *Nicænum I.* can. 16., relatum à Gratiano *can. 3. dist. 71.*, voluit irritam esse hujusmodi ordinationem. R. Non solvitur per distinctionem solitam, *quoad executionem C. quoad characterem IV.* Irrita in semetipsâ est *χρηστική*, id est institutio canonica, non *χρηστική*, i. e. manûs impositio consecratoria.

c) Promotus ad ordinem *sacrum* sine aliquâ examinatione. *Can. 5. & fin. dist. 24.* Hic abjiciendus est ex Clero. d. can. fin. Sed hodie tractatur ut cæteri. d)

d) Qui suscipit ordinem, ad quem non est admissus, *cap. 1. b. t. e. g.* admissus eodem die de consuetudine patriæ ad solos 4. minores, si insimul se ingerat subdiaconandis, *cap. 2. b. t.*, aut ad subdiaconatum, si insuper diaconandis, *cap. 3. b. t.*

II. Si Episcopus ante ordinationem protestatus fuerit, *se non intendere ordinare quempiam furtivè aut clandestinè accedentem*, idque serio, & immanendo huic proposito, non est talis ordinatus. *

* Sed propter *dubia*, quæ hinc oriri possent de valore ordinationis, distunderet passim hæc praxis episcopo, velut periculosa adinventio ultra Canones. Quid in casibus ejusmodi ad se delatis resolverit Sacra Congregatio Concilii, scribit *Rigantius* ad Reg. 24. Canc. §. 4. num. 5. & 7.

III. Si, quod per Canones ei licet, *sub anathematis interminatione* hoc prohibuerit, cum furtivè nihilominus accedente, qui fit eo ipso irregularis, dispensat Episcopus; sed non aliter, quàm si delinquens fiat monachus, aut canonicus regularis, & peractâ pœnitentiâ, arbitrio Episcopi injungendâ, aliquanto tempore in monasterio vel canoniâ laudabiliter conversatus fuerit. *Cap. 1. b. t.*

IV. *Extra casum interminatæ excommunicationis*, furtivè ordinatus fit tantùm irregularis *respectivè*, quoad ordinem sic susceptum, & ulteriores suscipiendos, peractâ verò pœnitentiâ dispensat cum ipso Episcopus. *d. cap. 1. b. t.* Si ingrediatur monasterium etiam ejus Abbas. *Cap. 2. eod.*

CASUS CANONICUS.

Quidam Canonicus, in aliâ Ecclesiâ Decanus, eligitur in Episcopum suæ Ecclesiæ, & confirmatur à Papâ, qui ei indulget retentionem Decanatûs, postea ad Ecclesiam Metropolitanam postulatur, & à Papâ transfertur, continuato indulto retinendi prædictum Decanatum, quem & retinuit usque ad mortem.

Q. 1. An per Concordata Germaniæ canonicatus hujus confirmati, & episcopatus translati, his vicibus sint reservati Sedi Apostolicæ? R. Episcopatus est, Canonicatus non est.

Q. 2. Quomodo vacet iste Decanatus? R. Per obitum.

EX

EX JURE CIVILI.

Continuatio Titulorum Lib. III. Codicis.

Ad Tit. VIII.

I. In Codice alius titulus est hic *de ordine judiciorum*, alius lib. 7. tit. 19. *de ordine cognitionum*.

Quæ differentia? Et ut generis à specie: in priori tractatur de concurrentibus quibuscunque judiciis, in posteriori de his, quæ cum *causâ liberali* concurrunt, i. e. cum quæstione statûs servilis, nec ne.*

* Rectius ordo *judiciorum* est, dum quæritur, quod *judicium*, quæve *actio* inter duas, inter se *diversas*, nec *conexas*, simul propositas, sit terminanda priùs, quæ differenda, ut est decisio *l. ult. b. t.*, quod priùs *de crimine* judicandum sit, dein mox initium *civili disceptationi* faciendum. In *Jure Canonico* tantùm exat titulus *de ordine cognitionum*, videlicet plurium *in eandem actionem*, atque *in eodem judicio*, *incidentium quæstionum*.

II. Regula *de ordine cognitionum* est: priùs cognoscendum *de intentione* actoris, *an sit probata*: dein modò *de exceptione rei*, *an per hanc intentio actoris sit elisa*. Cui non obstat. *cap. 1. x. d. t.*

III. Excipitur illa exceptio,

a) Quæ continet quæstionem *præjudicialem*, id est, cujus victoriâ inducit victoriam in principali, *l. 2. b. t. tot. tit. Cod. de ordin. cognit.*, ut sunt quæstiones statûs, generis.

b) Quæ actorem repellit ab agendo, ut exceptio spoli, *cap. 2. & fin. x. de ordin. cognit.*, excommunicationis, *cap. 19. x. de judic.*

c) Cujus decisio determinat *fori competentiam*, e. g. si inquisitus à Judice laico dicat, se esse Clericum, *cap. 12. de sent. excom. in 6.*

IV. Illa quoque ordine cognitionis prior est quæstio, à quâ dependet, five modus procedendi, five modus sententiæ ferendæ, ut si quærat, *an accusatus sit homo liber, an servus. l. 3. C. de ordin. cognit.*

V, Similiter causa possessionis præcedit causam proprietatis. l. 13. C. de R. V. l. 3. C. de interd. l. 3. C. fin. regund. l. 35. ff. de A. vel A. P. *

* Ita pariter prius de vi cognoscetur, quam de proprietate, l. 37. ff. de re jud., & prius de ult. ma. possessione, quam de vi, l. 1. C. de appell. l. 7. verfu: Quod si, C. ad l. Jul. de vi publ.

VI. Qui iudex cognoscit super principali, idem cognoscit etiam super incidenti, siue is competens esset, siue non, quando incidens principaliter moveretur. l. 1. C. b. t. *

* Salvo tamen cap. 3. x. de ordin. cognit. si incidens esset causa privative ecclesiastica; tunc enim iudex laicus superfedeat, donec incidens decidatur ab Ecclesiastico.

VII. Cùm civili disceptationi principaliter motæ quæstio criminis incidit, vel crimini prius instituto civilis causa adjungitur, potest iudex eodem tempore utramque disceptationem suâ sententiâ dirimere. l. 3. C. b. t. *

* Lex hæc supponit iudicis competentiam pro utrâque causâ, alioqui tantùm pronuntiare posset super principali l. 1. h. t., nec oriretur, quoad incidentem, rei iudicatæ exceptio.

VIII. Ut ut verò iudex possit, tam super incidenti, quàm principali, pronuntiare, sufficit tamen pronuntiare super solo principali. Arg. cap. x. x. de ord. cogn.

Ad. Tit. IX.

I. Quia plerumque melior solet fieri actoris conditio litem contestando l. 86. junct. 87. ff. de R. J.;

II. Ideò actorum procuratores litis contestationem urgebant, vel eo ipso factam esse, contendebant; econtra procuratores reorum fugiebant, declinabant, differebant, per hoc illudve factum, aut verbum litem fuisse contestatam, negabant.

III. Hæc res Legislatorum excitavit providentiam: Severus & Antonin. AA. in l. 1. b. t. declaraverunt pro reis, non induci litis contestationem

tionem a) si tantum protestatio simplex celebrata est, aut b) edita reo actio; sed tunc litem contestatam videri, cum Judex per narrationem negotii causam audire coeperit; id quod Justinianus Imp. in l. 14. §. 1. C. de Judic. claris sic reddidit: Post narrationem propositam, & contradictionem objectam.*

* Legislator Canonicus in cap. un. x. b. t. adjecit, non per positiones & responsiones ad cas, sed per petitionem in jure propositam, & responsionem secutam, contestationem litis fieri; imò nequidem objectione exceptionis, cap. 2. b. t. in 6. Hinc litis contestatio affirmativa tacita non est fundata.

IV. Accessit magistralis interpretatio, asserens, confessoria responsione non induci litis contestationem, Arg. l. 73. ff. de procur.; quod verum est.

V. Econtra pro actore constituit Legislator Canonicus, quòd causæ, in quibus simpliciter, de plano, ac sine strepitu & figurâ judicii Princeps, aut jus procedi mandat, litis contestationem non postulent. Clem. sæpè 2. de V. S.

VI. Litis contestationem potest injustè tergiversanti prælocutoria Judicis injungere, etiam media compulsoria interminando, & applicando.

VII. Sed praxis, litem pro contestatâ ex officio habendi, jam à nostris Antiquis meritò fuit improbata.

VIII. Qui contra plus re petentem, e. g. 100. pro 50., litem contestatur negativè, non potest damnari in 50, licet per decursum litis probata; quia in 50. non erat litis contestatio.

Ad Tit. X.

I. In plus petitionibus rigorem juris antiqui mitigârunt Impp. Zeno in l. 1., & Justinianus in l. 2. C. b. t. Utriusque autem, uti & Legislatoris Canonici in cap. un. x. b. t., remisit praxis.*

* Nempe

* Nampe *plus re, causa, tempore, loco* petentes condemnantur in expensis; *plus tempore* petentis prematura petitio remittitur, donec *venierit dies*, quin hodie duplicetur tempus sine *usu*: *plus loco* petenti detrahitur id, quod interest debitoris, si in loco convento solvisset.

II. Contra eos, qui sibi plus in chyrographis, seu cambiis, scribi faciunt, quàm debeat, meritò totius debiti jacturam decrevit *l. 3. b. t.* Decisio notabilis contra Hebræos.*

* Justinianus in d. l. optimè remisit hanc poenam his, qui poenitentes *ante litis contestationem* correxerint hanc calliditatem suam, ut spe veniæ, & timore probationis, detegatur faciliùs veritas debiti; quem finem rigor aliorum Legislatorum, totius pecuniæ jacturam irrogantium, simul ac amplior pecunia scripta fuerit in cautione, vix assequetur.

CASUS CIVILIS.

Titius hæredem instituit *Cajum*, fidei ejus committens, ut dimidium hæreditatis *statim* *Sempronio*, & alterum dimidium *Sempronix*, si nupservit, restituat. *Mævio* 300. legavit nominatim à *Cajo*; in facultatibus *Titii* sunt 400. *Cajus*, servatis servandis, spontè adit hæreditatem.

Q. 1. Quanta erit *Caji* hæredis *Trebellianica*? R. 62½.

Q. 2. Quantum *Cajus* restituet fideicommissariis hæredibus? R. Utrique 37½.

Q. 3. Cui detrahet id, quod, 25. retentis, deest usque ad 62½? R. *Mævio* legatario.

EX JURE S. R. I. PUBLICO.

Vis habere bellaria jurisprudentiæ publicæ vetustioris? Accipe manipulum positionum ex *Matthæi de Afflictis* præludiis feud. num. 21. & seqq.

I. *Docebat Baldus in cap. 1. de Feud. March. quòd collationes regaliæ dignitatum de jure pertinent ad Imperatorem, licet Papa sibi usurpavit.**

* Baldi postrema verba sunt: *Sed Papa, quantum potest, usurpat ad se.*

II. *Dixit Baldus in l. fin. C. locat.; quòd bodie Imperator in Italiâ debet verecundari de tantâ famâ; quia tenet gloriam nominis non humanis,*

lis, & jacet infamatum Imperium, & confusum; quia Respublica Romana translata fuit per Imp. Constantinum in Ecclesiam Romanam, sicut olim translata fuit potestas Lege Regiâ in Principem Romanorum.*

* Baldus sic habet: *Signa imperialia dicuntur videlicet: Hodie debet in Italiâ Imperator verecundari de tantâ samâ, quæ tenet gloriam nominis non humilis, & jacet infatuatum Imperium. Dicam: in Italiâ; nam in sua Majestate confundi non potest. Cætera adjecit Matthæus. Quis animi sensus fuerit Augustissimo Imperatori nostro JOSEPHO II., nuper Sede Apostolicâ vacante Romam, sine explicatione Dignitatis Imperatoris, videnti, Majestatem Romæ, humilitatem Imperii aspicienti, ferinium principalis pectoris tenebit.*

III. Et sic patet, quod alius fuit status Imperatoris antiquitâs ante dictam translationem; olim enim Imperator confirmabat Papam, ut in Cap. Adrianus dist. 62. Hodie verò Dominus Papa confirmat Imperatorem, & eum ungit. Cap. venerabilem de elect.

IV. Hodie defacto videmus, quod nec Rex Franciæ, nec Rex Siciliæ, nec Rex Hispaniæ, nec Rex Angliæ, nec Rex Aragoniæ, nec Rex Portugalliæ, nec Rex Navarræ, nec Rex Hungariæ, nec Rex Armeniæ, nec Rex Cypriæ obediunt Imperatori.

V. Concludo, quod dicti Reges potuerunt præscribere exemptionem ab Imperio per præscriptionem tanti temporis, cujus initii non extat memoria; quia semper fuit Imperator in mundo, & sic, dato Superiore, præscribitur contra eum, ut dicit Baldus.

Quærenti, quæ harum positionum sint veræ, quæ falsæ, & stolidæ, respondebimus.

EX JURE FEUDALI LONGOBARDICO.

I. Nova, sive prima, vasalli de feudo *investitura*, abusiva, vera, fiet cum solennitate testium, adeò, ut hæc omisâ sit ipso jure nulla, nec inducat naturalem saltem obligationem in domino, quamvis fatente.

II. Hi testes *necessariò* sunt pares Curie, si dominus unum, vel duos habeat. II. feud. 2. 33. & 58. §. I. III.

III. Et hoc verum est, sive Clericus, sive Laicus si dominus, *II. feud. 32.*

IV. Adversatur *I. feud. 26.* ibi: *Hæc omnia etiam in clericorum personis locum habent, præterquam, quod de personis testium dictum est (nempe: testes sint pares ejus, & qui ab eodem domino feudum tenent) in clericorum feudo pariter accipiuntur pares, & extranei: & hoc idem, quia, cum clerici quosdam de feudo investiunt, sæpè absconsè, & sine præsentia suorum confratrum, hoc facere student.*

V. Conciliare tentant hos textus, distinguendo inter feudum clerici *patrimoniale*, ut de hoc procedat *II. feud. 32.*, & inter feudum clerici *ecclesiasticum*, de quo *I. feud. 26.* Sed hæc conciliatio est vana.

VI. Nos potiùs corrigimus per *II. feud. 32.* hæc ineptiam textus *I. feud. 32.*, stupidâ causali nitentem.

VII. Audaciæ propter hoc nemo nos accuset, qui noverit, Jus Longobardicum à *Matthæo de Afflict.* super *I. feud. rubr. 10. num. 2. in fin.* vocari *ius asininum*, licet multa bona contineat; nec indignabuntur moderni Feudistæ *Matthæo*, qui in fronte suorum commentariorum vocatur Juris utriusque Monarcha.

EX JURE CRIMINALI.

I. De abrogandâ *territione* diræ quæstionis fertur cogitare Gallia. Num erit abroganda?

II. Nos sic putamus, terreri posse inquisitum *verbaliter, realiter*, quoties *de per se* meretur veram torturam, *ex accidente* autem, e.g. ætatis, vel debilitatis, torqueri non posset.*

* Hoc casu iudex interloqui poterit, torquendum esse inquisitum, sicut, si abesset accidens impediens.

III. Si verò inquisitus *de per se* non sit qualificatus ad ipsam torturam, neque terror hujus justè applicabitur. Arg. *l. 1. §. 33. ff. de SC. Silan.*

- IV. Hoc casu, si decretum territorionis publicaret iudex, fatuus esset, si interlocutoriam de torquendo, injustus, & mendax, si merè comminatoriè, vanus, & minas suas, imò se, ridiculo exponens.
- V. Confessio, etiam nudâ territorione elicita, ratificari debet.

EX JURE TREVIRENSI.

- I. Ordinatio provincialis de an. 1668. tit. 13. §. 3. sic statuerat: In den Fällen, da zwar kein Interesse, jedoch die Zahlung auf gewissen Tag versprochen, laufet doch von Zeit des bestimmten Tags das zugelassenes Interesse: wäre aber die Zahlung also gleich versprochen, laufet auch also gleich das Interesse.
- II. Hoc postremum jure omisit Ordinatio renovata de an. 1713. tit. 14. §. 3., & sic subrogavit: Und in anderen Fällen, da kein gewisser Tag gesetzt ist, von Zeit der geschener Anforderung.
- III. Per hoc tamen apud nos mutuum non exiit de censu *actionum stricti juris*.

HISTORICUM.

§. *Celestinus V.*, dictus *Petrus de Monte Murrone*, postquam ab obitu *Nicolai IV.* Sedes Apostolica vacaverat annos 2, menses 3, dies 2, Perusii 5. Julii an. 1294. tandem octogenarius in Papam electus, suo eremitorio reluctans exire persuasus, propè Aquilam coronatus, post menses circiter 5. Neapoli, ubi resederat, abdicavit Pontificatum, victurus ut priùs; sed à *Bonifacio VIII.* Successore, angustæ turri in castro Fumonis inclusus, obiit in eâ 19. Maji 1296, inter Sanctos relatus à *Clemente V.* Avenione 5. Maji an. 1313. Claruit miraculis post electionem, & abdicationem.

Q. 1. *An electio ejus fuerit valida?* R. Non dubita, quia per viam Spiritus Sancti facta est. Verba instrumenti electionis refert Contin. Baron. Odoricus Raynaldus Tom. 14. pag. 461. Demùm inter nos, EX INSPERATO, seu
1M-

IMPROVISO, de venerabili ac religioso patre fratre Petro de Murroni Ord. S. Benedicti, CELEBRIS SANCTITATIS VIKO, habitâ mentione, OMNES, qui tunc præsentes eramus in Consistorio, ad personam ejus intentæ considerationis intuitum dirigentes, in ipsum, QUASI DIVINITUS INSPIRATI, non sine lacrymarum effusione, nullo prorsus discordante, consensimus.... & nos electionem, de dicto fratre Petro factam per Episcopum Ostiensem (Cardin. Latinum) ratam habentes, eundem, licet absentem, devotè recipimus in nostrum, & Romanæ Ecclesiæ Episcopum & Pastorem. Adde ibid. epistolam S. Collegii Cardinalitii ad Electum, ubi deposcit ab hoc, ut profundâ & sedulâ meditatione penset, quòd hujusmodi electio illo, qui ubi vult, spirat, inspirante processerit, atque divinis dispositionibus cooperetur, accommodando consensum, nec non pag. 629. Encyclicam ad Episcopos, in quâ Cælestinus vocationem suam à Deo processisse fideliter supponit, præmittens, quòd benignus Sapientiæ Spiritus, Cardinalium corda disparia piâ inspiratione præveniens, subito & celeriter conjunxerit in unum, illud momento quasi perficiens, ad quòd diffusi temporis spatium fructum debitum vix adduxit, ipsos namque fratres denuò de solâ providentiâ summi Patris, & ejus permissione mirabili, in humilitatem suam, omnes unanimiter concordasse.

Q. 2. An abdicatio ejus fuerit valida? R. affirm. in reverentiam cap. 1. de renunc. in 6., & ibi Bonifacii VIII. Quanquam id non absque multâ formidine de veritate oppositi affirmemus; nam 1.) nondum satis constat de quæstionis expeditione affirmativâ, an Papa renuntiare possit, & quidem, sicut ait d. cap. 1. liberè, i. e. independentier à consensu suæ sponse, vel etiam hac contentâ. Sanè difficultia in contrarium argumenta an. 1297 proposuere duo Schismatici Cardinales, Jacobus & Petrus, patruus, & nepos (vid. cap. un. de Schismat. in 6.) de Columnâ apud Raynaldum in Appendice Tom. 14. pag. 635., quæ Petrus de Palude ibid. pag. seqq. non videtur solvisse: nec 2.) reperitur sufficiens causa in abdicationis formâ sequente: Ego Cælestinus Papa V., motus ex legitimis causis, i. e. causâ humilitatis, & melioris vitæ, & conscientie illæse, debilitate corporis, defectu scientiæ, & malignitate plebis, & infirmitate personæ, & ut præteritæ consolationis vitæ possim reparare quietem, spontè ac liberè cedo Papatui, & expressè renuntio loco & dignitati, oneri, & honori, dans plenam ac liberam facultatem, ex nunc sacro Cœtui Cardinalium eligendi & providendi, duntaxat canonicè, universali Ecclesiæ de Pastore. Quam formam Benedictus Cajetanus Cardinalis, postea Bonifacius VIII, præcipuus abdicationis suæ, concepisse existimatus est. His motivis non obstantibus, elegit Cælestinum Deus, utique utilem ac necessarium illi corrupto tempori, quo Pontifice sancto, & miraculorum patratore potiùs opus erat, quàm politico curialistâ.

Q. 3. Quid nocuit iste S. Pontifex Ecclesiæ Romanæ, quid Catholicæ? R. Nihil; imò verò profuit. 1.) Confirmatione pacis initæ inter Carolum II. Siciliæ, & Jacobum II. Aragoniæ Reges, salvis juribus Ecclesiæ Romanæ, de quo Raynaldus pag. 631. Emicuit in re gravissimâ, è quâ orbis Christianæ publica quies pendebat, Cælestini prudentiâ, omni humanâ sapientiâ augustior. 2.) Flexione Philippi pulchri Galliæ Regis, ut paci isti accederet. Breve: Habet charissimi. 3.) Aposto-

licâ exhortatione ejusdem Jacobi, ut recederet sb incestis nuptiis. *Brevs: Peccâssi.* 4.) *Guidonem*, Montis Feretri comitem, à *Nicolao IV.* excommunicatum, ad resipiscentiam, & reconciliationem cum S. Sede permovendo. 5.) sincero voto amplificandi cultûs divini, instaurandæque in Syriâ religionis: *Bulla: Inundat.* 6.) Annullando suspensionem *Adriani V.* & *Joannis XXI.* contra constitutionem, quam de rigore conclavis *Gregorius X.* in Concilio Lugdunensi II. fecerat: *Bulla: Quia in futurorum. Pridem. Constitutionem.* Ibid. pag. 633. & seq.; quæ Cœlestini constantia Cardinales, conclave abhorrentes, multum offendit. 7.) Duodecim Cardinales, ebsque egregios viros, creando, in eo solo Italos offendens, quod ex ipsis tantum quinque, ex Gallis septem, elegerit. 8.) Reformationem Cleri Romani intendendo.

At sjunt, Cœlestinum curas Curia reliquisse Cardinalibus, solita suæ devotioni vacando: quæ egit, egisse per Latinum Ostiensem, quo fatis functo res in pejus abierint, quia, ut scribit, post alios *Fiamin. Parisius de resignat. lib. 2. q. 1. num. 17.*, non erat expertus in agilibus mundi, vel, ut *Ptolomæus Lucens. coævus: propter inexperientiam regiminis circa fraudes, & hominum verjutas, in quibus Curia multum viget*; unde inveniebantur gratiæ aliquando factæ tribus, vel quatuor, vel pluribus personis, membranâ etiam vacuâ, sed bullatâ. R. An propterea etiam fluctuavit Ecclesia? Minus certè, quàm sub *Bonifacii VIII.* in utroque jure summâ peritiâ, mundi astutâ sapiennâ, & duobus gladiis. Vir sanctus, teneræ conscientia, docilis, & informabilis, substituto sibi alio fideli ministro, hæc facile emendâsset, quin opus fuisset, Papam, naturali ratione tandiu non victurum, mox disponere ad renunciandum, abutendo illius prædominante inclinatione ad vitam solitariam. Quid enim? Si Papa mente imbecillus, aut præ senio infans, evaderet? Si verum est, quod *Ægidius Columna lib. de renunt. Papæ 1. q. 23.* scribit, *Bonifacium VIII.*, tunc Cardinalem *Benedictum*, dissuasisse Cœlestino renuntiationem, ratione datâ: *quia jussiceret Collegio, quod nomen suæ Sanctitatis invocaretur super eos*, rectissimè tenet *Bonifacius*.

Q. 4. *Habetur exemplum antierius renuntiationis Papalis?* R. Id quidem dicit *Bonifacius VIII.* lib. 1. epist. 1. ad Archiepisc. Senon., ejusque Suffraganeos: *Renuntiationem posse sic legitimè fieri, PRIMORUM GESTA PONTIFICUM declarant apertius.* Didicit hoc ex traditis veterum Canonistarum ad *Decretum Gratiani*, ubi glossa in canon. 12. verbo: *Ut non succederet*, in fin. VII. q. 1. *Nunquid Papa potest renuntiare? Utique, nam Marcellinus renuntiavit, & Clemens Papa, sed post Linum & Cletum iterum recepit cathedram.* De *S. Marcellino* est canon *Nunc autem 7.* dist. 21, ex epist. *Nicolai I.* ad *Michaelem Imp.*, ubi glossa verbo: *Marcellinus ait*, quod ad dictam *Sinuessanæ Synodi: Ex te justificaberis, aut ex ore tuo condemnaberis*, hic Papa in se tulerit sententiam depositionis, prohibitionem sepultura: sui corporis sub excommunicatione adjiciens, quod sanè non est renuntiare. Sed quidquid sit de lapsu & resurrectione *Marcellini*, absurdissima est *Legenda* illa in toto suo contextu, quæ in *Harduini Concilior.* Tom. 1. colum. 217. incipit, & colum. 220. *Marcellinum sic denique fantem inducit: Peccavi coram vobis, & non possum esse in ordine Sacerdotum, quoniam avarus corrupit me auro*, quo audito *Helchiades Episcopus*, nescitur cujus civitatis,

tatis, subjunxisset: *Iustus ore suo condemnatus est, & ore suo anathema suscepit Maranatha*, Marcellinus autem anathemati suo primus subscripsisset.

De *S. Clemente I.* est canon *Si Petrus* 1. VIII. q. 1., ubi *S. Petrus* eum dicitur sibi Successorem in Pontificatu designasse; glossa autem in verbo: *Aut ligandi* post med. ait: *Videns autem Clemens, quod hoc esset perniciosum exemplo, quod aliquis sibi eligeret successorem, renuntiavit Papatus; & tunc electus fuit Cletus, quo mortuus denique fuit Clemens electus.* Sed textus ipse est falsa merx Pseudo-Isidori, Joanni III. inscripta, & glossa est injuriosa *S. Petro*, quasi perniciosum exemplum dedisset circa finem vite suae; improvidi sane sunt, qui fabulas ejusmodi sequuntur cum Parisio de resignat. lib. 2. q. 1. num. 11. Verè itaque scripsit *Raynaldus* Tom. cit. pag. 466. num. 19. *Hactenus inauditum esse, ut Pontifex Romanus dignitate decessisset.*

Additio. Papis resignantibus *Parisius* loc. cit. num. 14. annumerat quendam *Cyriacum*, dicens istum, reclamantibus *S. R. E. Cardinalibus*, resignasse, ut martyrii coronam consequeretur, nempe ut habet *S. Antoninus*, part. 3. tit. 23. §. 2., associavit se undecim millibus *Virginum B. Ursulae & Sociarum* ex revelatione angelicâ. Sed in catalogo *RR. PP.* nullus reperitur *Cyriacus*, multò minùs ei locus esse potest circa an. 382., quò historia *Ursulae* refertur, aut an. 433., quò à *Sigeberto* in *Chron.* quid commenta est glossa in cap. 1. de renunt. in 6. verbo: *Videbantur?* Audi & stupe! *Datur autem certum exemplum de Cyriaco Papâ, de quo legitur, quod cum Ursula, & undecim millibus Virginum martyrisatus est: scribitur enim de ipso, quod sibi quondam revelatum esset, quod esset cum ipsis Virginibus palmam martyrii recepturus: tunc congregatis Clero & Cardinalibus, omnibus invitis, & precipue Cardinalibus, coram ipsis renunciavit dignitati & officio. Sed iste Cyriacus in catalogo RR. PP. non denominatur, quia creditum fuit per Cardinales, quod non propter devotionem, sed propter oblectamenta Virginum, Papatum dimisisset.* Probam est, hujusmodi commentum usque hac mansisse in Corpore juris Canonici glossato.

Q. 5. An Coelestinus ante resignationem ediderit constitutionem decisivam, quod Papa renunciare possit? R. Id quidem affirmat *Bonifacius VIII.*, tum in epistola suam electionem annuntiante, tum in cap. 1. cit. Credendum est Papæ narranti & asserenti, se interfuisse deliberationi & decisioni; sed nullibi reperitur statutum *Coelestini* in formâ suâ. Cur autem dicit ibi *Bonifacius: Nos igitur, ne statutum hujusmodi per temporis cursum oblivioni dari, aut dubitatione eadem in recidivam disceptationem ulterius deduci contingat, ipsum inter constitutiones alias ad perpetuam rei memoriam, de fratrum nostrorum consilio, Laximus redigendum.* R. Videtur tantùm verbale fuisse, aliàs *Bonifacius*, cujus tunc plurimum intererat, tenorem ejus inferuisset in formâ specificâ.

Observatio. Si *S. Coelestinus* materiam hanc difficilem capere & decidere potuit, certè & alias quæstiones: fuit ergo in rebus canonicis, si non scientificis, saltem informabilis.

Q. 6. An sit verosimilis expectatio ulterioris exempli? R. Vix, ac ne vix quidem: docuit nos experientia, quàm difficiles se præbuerint ad renunciationis sic nuncupatum maledictum verbum Papæ, etiam in schismate electi, non obstante promissione juratâ; quos inter Sæcul. XV. Benedictus XIII. de Luna mansit inflexibilis, Gregorius XII., à Conc. Pisano depositus, usque ad Conc. Constant. pertinax.

Confortet DEUS nuper in festo S. Cœlestini V. providentiâ divinâ electum Sanctissimum Dominum nostrum Papam CLEMENTEM XIV. de Seraphico Ordine FF. Minorum Conventualium S. Francisci, clarum purpurâ per decennium gestâ, virtute, eruditione literariâ, cautelâ, prudentiâ, moderatione, clariorem: adsit Ei Spiritus S., ut Ecclesiâ Romanam, simul & universalem in præsentî temporum crisi, cujus eam CLEMENS XIII. creator hæredem reliquit, absque ullâ renunciationis tentatione, fortiter ac diu gubernet, magnâque Sacerdotium cum sæculari Imperio pro suâ sapientiâ, nostrâque pace, fideliter conciliet.



APPENDIX

ad causam *Bonifacii VIII.*

EXEMPLA

CONSEQUENTIFICINÆ MALIGNÆ,

ex Odorico Raynaldo ad A. C. 1312. num. 13. & 14.

Dum Rex Galliæ, *Philippus* pulcher, saltem post obitum *Bonifacii*, contendebat evertere ejus præteritum Pontificatum, acta rescindere, memoriam abolere, non deerant adulescentes, quibus, ut *hæresin* Pontifici Catholico coram Viennensi Concilio probarent, pestis illa humanitatis, consequentiarum malitiosa artifex, inserviit. Ajebant 1.) *Bonifacius prædicare non erubuit, se magis velle esse canem, vel asinum, quàm GALLICUM: Subsumebant: Hoc non dixisset, si credidisset, GALLICUM habuisse animam immortalem: Concludebant: Ergò non credidit immortalitatem animæ. 2.) Ut magiæ illum convincerent, sic argumentati sunt: Dixit Bonifacius: Quòd si omnes homines in mundo essent ab unâ parte & ego ab aliâ, non possent illi me decipere, nec in jure, nec in factò: Subsumptio:*

sumptio: *Atqui hoc non possēt fieri, nisi ope diabolicā uteretur*: Conclusio: *Ergō habuit auxiliatorem, & consiliarium demonem*. Addiderunt 3.) *idololatriam*. Quare? Pretiosis suis ad Altarium ornatum muneribus ex auro, argentōque effigiem suam inculpi fecit Bonifacius, non alio, inferebant, fine, nisi ut ex arâ & ipse coleretur. Consequentifce maligno, ex dictis, scriptis, factis proximi sic, vel similibus modis, arguente, nihil est scelestius.

I. O. H. D.



Vix, ac no via p...
 nunciacionis sic m...
 non obstante p...
 mandit ind...
 Constant, perian...
 vni electum S...
 ico Ordine FF. Minor...
 m gellā, virtute, tr...
 rem: adit. Et Spiritu...
 impotum erit, cujus ex...
 renunciacionis ren...
 tati Imperio pro hā b...
 LIGNE,
 um. 13. & 14.
 obitum Bonifacii...
 arum, acta rescind...
 bus, ut haresin P...
 t, pestis illa human...
 Ajebant i.) Bonif...
 vel asimen, quā G. AL...
 edidisset, GALLICU...
 Ergō non credit...
 acerent, sic argumen...
 in mundo essent ad...
 nec in jure, nec in factis...
 sumptio

Lu
 /

1782

Faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page.

J. O. B. D.



Fragment of text from the adjacent page, including the words "G.", "no.", "D. GE", "&", "dico", "D. FRI", and "utriu".

